LECTORI.

DIgnitati suæ simul & publicæ utilitati feliciter consultuisse videntur Majores nostri, cùm PHARMACOPŒIÆ edendæ curam, opus non minùs laboriosum quàm necessarium, in se susceperint. Etenim cùm, singulari Principum nostrorum gratiâ, id assecuti sint, ut rei medicæ judices atque moderatores non in hâc tantùm Urbe, sed per universam Angliam constituerentur, se & sibi defuturos esse & ægrotis rectè judicabant, nisi quicquid ad Pharmaca conficienda pertineret, certis & definitis legibus constitisset: unaque fuisset præscripti norma, quam ab omnibus æquè teneri oporteret. Hoc illi munus, quod ab iis acriter susceptum est, pari industriâ absolverunt; & seculo proximè elapso sæpius prælum subiit, amplior atque emaculatior Sociorum laboribus facta, Collegii nostri PHARMACOPŒIA.

Quantacunque verò fuerit illorum diligentia, compertum est nuperrimè, cùm inviserentur Officinæ, multa prorsus desiderari medicamenta, multa etiam variè pro artificis arbitrio componi: neque id tam Pharmacopœi vitio, quàm quòd permulta in desuetudinem abierint, nonnulla etiam haud satis accuratè & definitè fuerint descripta. Quare placuit Præsidi & Collegio rem totam denuo ad incudem revocare; qui, cùm haud levem ei operam junctis viribus insumpserint, se id tandem effecisse confidunt, ut jam limatior paulò & medentium usibus accommodatior prodiret, utque eadem, quæ unanimi Collegarum consensu comprobata est, cæteris non displiceret PHARMACOPŒIA LONDINENSIS. Quid verò in hâc Editione præstitum sit, paucis, benigne Lector, accipe.

Simplicium Catalogum vides prorsus de novo adornatam: Herbæ cujusque nomen, idque haud rarò multiplex, appositum: tam illud, quod in Officinis familiare est, quàm quod ab accuratioribus in re Herbariâ scriptoribus retinetur. Tu, qui nôsti, quàm facilè ejusdem generis atque nominis plantæ confundi soleant, probè intelligis errorem vix aliàs vitari posse, nisi hæc vocabulorum adhibeatur distinctio.

Aquarum Simplicium multitudinem resecuimus, paucioribus contenti; iis scilicet, quæ & per aliquod tempus commodè servari possunt, quæque Herbæ istius, unde eliciuntur, aut saporem, aut odorem, aut aliquam saltem virtutem referunt.

In

LECTORI.

In Aquis Compositis *distillandis major adhibenda fuit cura. Etenim quot Officinæ, tot* Aquæ *ejusdem varietates: Unusquisque scilicet suam sequitur distillandi viam. Ita ut, si* Aquarum *vires respexeris, neque certam aliquam eas conficiendi regulam Pharmacopœus, neque præcipiendi habuerit Medicus. Quare res ad trutinam atque mensuram exigenda fuit: Ita ut, in quem denique gradum evehi debeant liquores isti* Spiritu *abundantes, certò constaret. Id etiam in* Aquis *hisce eliciendis secuti sumus, ut ipsa distillandi ratio minùs molesta fieret ac operosa. Idem & in* Syrupis *concinnandis fecimus: quorum etiam farraginem, utpote magnâ ex parte inutilem æquè ac tœdii plenam, de industriâ contraximus.*

Multa itidem in iis, quæ exteriùs adhibentur, remediis novare necesse habuimus. Quæ verò Unguentis *atque* Emplastris *adjecimus, scias ea fieri non sine illorum, qui hodie apud nos magnâ cum laude rem* Chirurgicam *& exercent & excolunt, judicio.*

Quædam rejecimus, quia parùm utilia; quædam immutavimus, quia absurda sibique repugnantia viderentur. Superstitionem olentia expunximus: ad rationis atque experientiæ normam omnia, quantum fieri potuit, redigere conati. Aliquid utique Antiquitati dedimus; cui tamen haud ita indultum est, ut, quicquid vetustatem præ se tulerit, locum hîc sine delectu obtinuerit. Quinimo multa recentiùs excogitata immiscuimus: quibus Medicorum, & præsenti & superiore seculo celebrium, experientiæ gratiam atque pondus addidit. Eo siquidem consilio processimus, ut in mole haud immodicâ quàm maxima relinqueretur remediorum varietas: ut esset quod vetera sequentibus, quod nova amantibus, quod simplicitate gaudentibus, quod composita probantibus placeret: ut esset denique aptum quid & conveniens, quod ad morbum quemcunque facile accommodare posset Medici solertia.

Cùmque conatus hosce nostros ita adjuverit Regius favor, ut lege jam sancitum sit, nequis in Angliâ *aliam medicamenta conficiendi regulam sequatur: id quod nostræ est provinciæ in nosmet haud gravatè recipimus, omni diligentiâ atque authoritate nos esse curaturos, ut in hâc saltem Urbe eadem accuratè & fidelitèr parentur.*

Vale, Lector benevole; & his nobiscum in commune bonum, ægrotantium scilicet salutem, cui unicè studere voluimus, feliciter utere.

Datum ex Ædibus
Collegii nostri,
Septemb. xxx^mo.
1720.

NOMINA